



POTENTISSIMI HVNGARIÆ
BOHEMIÆQUE
REGIS FERDINANDI,
ARCHIDUCIS AUSTRIÆ &c.
IN CIVITATEM REGIAM HVNGARIÆ
STULWEYSSENBURGUM INGRESSIO,
CORONATIOQUE LONGE CELEBERRIMA.

Antuerpiæ, ex officina JOANNIS GRAPHEI. Anno M. D. XXVII.

*Regia in Stulweyssenburghum Hungariæ Civitatem
INGRESSIO ultimo die Octobris Anno M. D. XXVII.*

Primum Regiam pompam præcedentes introgessi sunt Hungari, alique milites, quos vulgo vocant *Husern*, suosque ritu ornati, singuli singulos equos ab latere ducentes, numero

D.C.

Hos subsequuti sunt, Comes *Julius ab Hardegk*, *Theodoricus Spat*, alique nobiles nonnulli, pulcherrimo equitatu insignes, equites. M. Hinc Comes *Rechenbergius*, cum equitibus viginti, Tartarorum ritu suis tympanulis & fistulis exultabundi, quibus adjuncti quinquaginta *Huserni* cum suis vexillulis & hastis, faciebant simul numerum equitum.

LXX.

Inde

Inde *Molzan* Veltmarascalbus, cum hastatis equitibus L.
 Post hunc D. *Georgius ab Awrsperg*, eques auratus, una & multi
 proceres ex Steyrmarchia, omnes armati hastatique equites C. XXX.

Hos subiit dominus a *Liechtenstein*, Dux militiæ Auftriacæ, quos
 omnes duxit hastatos equites CL.

Dein Reg. Ma. *Oeconomus*, Dominus *Willelmus Truckfasson*,
 cum nonnullis ex regia familia equites C.

Quibus successit regii corporis custodum princeps, Galli vocant
Archiers, cum equitibus L.

Item Reg. Ma. pueri nobiles, in thracibus, hoc est thurcicis &
 aliis equis conspicui, equites XL.

Item Comes *Nicolaus a Salm*, senior, & alii proceres nonnulli,
 inter quos *panopli*, hoc est, integre armati, erant quinquaginta,
 universo autem numero equites CC.

Post quos Comes *Hoyer ab Mansfeld*, Landgravius à *Leichtenberg*
 ac etiam ab *Hennenberg*, multique alii integra armatura insignes,
 cum nonnullis Hispanis, ac plerisque ex regia familia, holoseri-
 cis sericisque splendidi, quibus ille a *Puebeym* prætulit castrense
 vexillum, hi autem omnes fuere equites hastati. XC.

His subiit Dominus *Andreas Ungnad*, integra armatura præfulgidus,
 cujus equi armatura intertextis margaritis tota erat holosericea,
 cum equitibus XX.

Inde regii Tubicines ac Tympanistæ.

Post, Regium Consilium, nempe Cancellarius, Quæstor, aliique,
 plerique holoserico sericoque decori.

Item Hungarici proceres aliquot:

Comes *Nicolaus a Salm*. Junior:

Reg. Ma. ac utriusque Reginæ *Oeconomus*:

Episcopi Hungarici:

Hungaricus quidam Comes, in aureo argenteoque paludamento.

Item magnus Hungariæ Comes, una cum *Georgio* Marchione
Brandenburgensi.

Post hos omnes FERDINANDUS Rex, in vestitu aureo, sub
 aureo cælo, quod a Sacerdotibus Hungaricis ferebatur, magnifico
 equo conspicuus incedebat; cui a dextris quidem *Maria*, sua Soror,
 dudum Regina Hungariæ, a sinistris vero serenissima sua conjux.

Qui-

Quibus succedebant inclytæ earum ministræ:

Ac deinde currus pensiles :

Deinde vero Reginae *Mariae* familia in vestitu pullo.

Item ex Hungaricis proceribus quidam, cum equitibus CC. L.

Item *Joannes ab Hilchen*, aliique strenui milites, inter quos multi paropli, qui toto numero fuere equites LXXX.

Ac præterea innumeri Hungari & *Huserni*.

Postero vero die, hoc est, Calendis Novembris, introgressi sunt civitatem *Stulweyssenburgum* plerique Hungarici proceres, ac *Huserni*, nec non & Episcopus *Granen.* simul equites CC. L.

Tertio autem die, magno equitatu ingressus est *Pereni Petrus* Weyda septem castrorum, cui Magnus Comes, ac Episcopi aliquot, una cum nonnullis proceribus Germanis obviam ierunt.

Quotquot autem præterea magis ac magis accesserint, esset numeratu haud facile.

Præter *Re. M.* pedites, qui cum in suburbanis tum in sua custodia die noctuque perstiterunt numero sexies M.

Potentissimi Regis Hungariæ Bobemiæque FERDINANDI

Inauguratio, seu CORONATIO, facta in Civitate *Stulweyssenburgo* Anno M. D. XXVII. die dominico, qui erat tertius Novembris.

Potentissimo itaque *Ferdinando* Hungariæ Bohemiæque Rege, una cum Regia sua conjuge, ac sorore dudum Hungariæ Regina, die dominico tertio Novembris, circiter horam nonam ante meridiem, in majorem ecclesiam, quæ *Sanctæ Mariæ* nuncupatur, ingressuro, sex episcopi pariter & Præpositus, infulis episcopalique vestitu de more ornati; nec non & alii episcopi & prælati absque infulis & habitu plurimi; plerique præterea Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, ac aliarum nationum Principes, Comites, proceres, nobilesque præcessere, ipsumque Regem Italicis Germanicisque tubis ac castri- cis tympanis, magna alacritate, solemnique pompa in templum induxere.

Porro magnus Comes Hungariæ (quem ob inveteratam valetudinem in cathedra ferri oportebat,) Regiam Coronam *Pereni Petrus*, vero septem castrorum *Weyda*, Regium sceptrum; *Alexius* autem *Dorfi*, orbem; At Comes *Wolf a Pajung* regium gladium prætulere.

In medio Ecclesiæ choro extractum fuit quinque ferme pedum altitudinis pegasus, in quo paratum erat Regium folium, aureo tegu-

tegumento circum opertum. Super hoc pegmate in hoc folio confedit Rex, cui a singulo latere singula affidebat Regina. Reliquus vero nobilium mulierum status in dextera chori parte in sublimi quodam tabulato, ea de causa sumptuose extructo, ad coronandi ceremonias commodius contemplandum, confidebant.

Proinde inter ingrediendum, quina magna vexilla ex sericeis telis ingeniose facta, ante Regem ferebantur; nempe vexillum regale primum, insignibus & coloribus propriis distinctum; secundum vero, tertium, quartum, & quintum, insignibus & coloribus regnorum *Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, &c.* decorata. Ea quinque potentissimi Hungarici proceres in quatuor Pegmatis angulis adstantes, nimirum duo a fronte, duo a tergo, unus inter duos priores medius, singuli singula vexilla sustinebant.

Interea Episcopus a Neytra Episcopali suo & missali habitu se ad celebrandum sacrum accingit; reliqui vero Episcopi ac sacerdotes coeperunt canere *Asperges me dom.* Episcopus autem a Neytra consperfit Regem lustrali aqua, inde ad altare regressus.

Mox bini ex reliquis Episcopis infulati, relicto altario regale solium accessere, Regemque inde ad altarium duxere. Magnus vero Comes, *Pereni Petrus, Alexius dorfi*, Comes a *Posnig*, coronam, sceptrum, orbem & gladium rursus praeferentes, in altario deposuerunt; ibique Episcopus Neytranus, ante medium altare in cathedra sedens, Regi juxta altare ante se in genua provoluto, manumque sibi deosculanti, e libro quodam multa praelegit, in quo libro impositis digitis Rex quaedam juravit.

Quo facto reliqui Episcopi ac sacerdotes cecinerunt *Litanias*; quibus expletis Episcopus Neytranus sacro oleo inunxit Regem, nimirum ad manum ejus dexteram, inter manum videlicet & cubitum, ac deinde dorsum; ipse vero Neytranus una cum reliquis Episcopis super Regia Majestate interim statutis orationibus oraverunt.

Post haec altera cathedra ante altare posita, Rex in ea confedit; dum Episcopus *Missam*, regique cantores *introitum* canere inciperent: tum Rex paulum ab altari digressus, in locum quendam ab altaris latere secretum sericeis tegumentis undique decenter contextum, se contulit, ibique super aureo suo vestitu, quem scilicet pellibus preciosissimis quidem infutis pulcherrimum gerebat, regalem quendam vetustate venerandum induit habitum ex materia sericea,

aureis divorum imaginibus, florumque varietate passim intertextis factum, vetustæ dalmaticæ haud abfimilem; sicque rursus in chorum regressus, atque in cathedram locatus, permanfit ibidem, donec *Kyrie eleison*, & *in terra*, *Collectæ*, ac *Epistola* decantarentur.

Post Epistolam vero, accedentes rursus duo Episcopi, deduxere Regem ad altare, ubi cum flexis genibus ante Episcopum se denuo provolvisset, Episcopus iterum multa super eum legit; ut vero desit legere, Magnus Comes ter quiddam ad Hungaros Hungarice loquutus est, ab eisdem percontans, an *Ferdinandum* sibi Regem petant; qui omnes unanimiter responderunt: etiam, is placet nobis, eum Regem volumus: tum vero Tubicines tubis canere, tympanistæ autem tympana alacriter pulsare cœperunt. Porro Episcopus Neytranus, accepta ab altari corona, plurimique Hungarici proceres, illam simul manu apprehedentes, Regem coronarunt. Est autem ea corona vetusto ritu plane simplex: Hungari putant S. Stephano olim Hungariæ Regi cœlo delapsam fuisse. Imposita autem corona, dederunt Regi Regale sceptrum, & orbem manu gestandum, ac mox enses sub chlamyde accinxere, quem Rex ut continuo eduxisset, confestim rursus in vaginam (hæc enim inaugurandi apud Hungaros Regis est consuetudo) recondidit.

Sub hæc cantari cœptum est: *Te Deum laudamus*; sicque Rex iterum deductus est in medium chori, ad suum solium; ubi corona, sceptrum & orbis juxta eum ad ipsum solium collocata sunt.

Interea *Alleluja* occinere cœperunt: deinde *Evangelium*: inter Evangelium vero & Apostolicum *Symbolum*, duo infulati Episcopi attulerunt ad Regem, tum librum Evangelii ad id deosculandum, tum etiam incensum; quæ quidem alteri duo Episcopi, nimirum Granen. & Vesperinus, coram Rege ab illorum manibus suscipere, nempe Granen. Evangelii librum; Vesperinus vero incensum, utrumque Regi reverenter exhibentes, ac mox deinde duobus illis infulatis cuique suum ad altare rursus deferendum reddentes.

Post hæc Docteur URSINUS egregiam habuit orationem idque Latinam, ad semihoram circiter durantem.

Deinde cœpto *offertorio*, Rex e solio ad oblationem progressus, obtulit centum Hungaricos ducatos: rursusque regressus, solio refedit usque ad *Eucharistiæ elevationem*. Ubi autem cantari desierat *Agnus dei*, Episcopus Granen. simul & Vesperinus attulerunt

runt Regi Pacem. Cum vero Neytranus sacram sumpsisset Eucharistiam, ipse quoque Rex idem fecit, sacroque ad finem usque interfuit, quod per regios Musicos cantu, buccinis, tubis, organis, aliisque id genus musicis instrumentis per quam festiviter peractum est.

Ut vero Episcopus Neytranus peracto sacro benedictionem de more dedisset, Rex juxta veterum Hungariæ Regum consuetudinem, e Divæ Virginis templo egressus, peditem se contulit ad templum *Petri Apostoli*, quod ferme ducentis passibus a Divæ Virginis templo situm est. Erat autem inter utrumque templum via subter euntium pedes roseis pannis strata. Rege autem tribus quatuorve passibus progresso, panni ab Hungaris (vetusta nimirum eorum consuetudine) varie distracti sunt, atque ablati.

Interea vero Rex jussit per quæstorem suum populo spargi æs, ut puta Hungaricos, Rhenensesque aureos, ac etiam coronatos, duo denarios, senarios, patzos, aliosque id genus monetæ nummos, unde confusissimus rapientium tumultus exortus est: Germanis, Hungaris, Bohemis, cæterarumque nationum populis inter se de præda contententibus.

Utraque autem Regina cum suo cæterarumque nobilium mulierum statu, peracto sacro, e Divæ Virginis templo egressæ, propiori via ad sua palatia rediere.

Rege vero in Divi *Petri* templum ingresso, atque ibidem paulisper commorante, paratum est in eodem templo solum, in quo cum ipse resedisset, cœpit ex omni natione, qui illo convenerant, creare equites auratos. Deinde pulcherrimo consensu equo, e civitate ad *S. Stephani* ædiculam, in suburbanorum finibus, Budam versus sitam, se contulit: quo illum ingens Episcoporum, Prælatorum, Principum, Comitum, Procerum, nobilium, ac promiscui vulgi numerus, ingenti cum equitatu tum peditatu prosequutus est. Quina autem, de quibus ante dictum est, Regi præferbantur vexilla.

Ante ædiculam sublime extructum erat tabulatum aureo tegumento circumornatum; ibi Rex rursus astanti populo jusjurandum præstitit, quod Episcopus Vesperinus, ut ejus regni Cancellarius, ei prælegit, ipsi quoque populo idem multa quædam prælegit. Ipse etiam Rex multa ad patriæ defensionem, obedientiamque pertinentia, cum populo e tabulato loquutus est: altis vocibus propria lingua acclamante populo, Regique a Deo Opt. Max. felicitatem, victoriam, fortunatumque regnum precante.

His peractis, Rex equo rursus conscenso, civitatem versus retrogressus, editiorem quendam colliculum conscendit; ibique ab equo gladium stringens, quaterno vibratu aërem minabundus secuit: primum adversus Turcarum Regionem, deinde secundo, tertio, quarto ictu, in reliquos tres orbis angulos, significans, regnum suum cum contra Turcas, tum adversus cæteros quoscunque hostes se velle gladio defendere & dilatare. Ac deinde cum suis proceribus, reliquoque principum comitatu in civitatem regressus, in Præpositi ædes, quas sibi palatium constituerat, se tandem recepit: duraruntque hujusmodi ceremoniarum acta, ab hora nona antemeridiana, usque ad tertiam pomeridianam.

Inter tertiam vero & quartam pomeridianam bellaria sumptuosissime posita sunt; ibi Rex assedit mensæ, assidentibus ei utrinque Reginae, Sorore ab dextra, uxore a læva.

Positis quoque aliis ab utroque latere mensis, Episcopi & Prælati ad dexteram; nobiles vero mulieres ad lævam Regiæ mensæ confidebant.

Protracta est autem hujusmodi bellariorum pompa usque in octavam pomeridianam horam, summa alacritate variis modis, variis instrumentis, tubis, buccinis, fistulis, cornibus, festivissime celebrata: ipsoque protractu prandium, cœna, secundæ mensæ, sub unis bellariis sunt peracta.

CORONATIO REGINÆ.

Postero die, qui erat Lunæ. IV. Novembris, Serenissima Hungariæ Regina, Potentissimi nostri Regis in regno consors, iisdem modis, solennitatibus, pompis, quibus Rex, sed peculiari diademate, peculiaribusque ceremoniis, quæ Reginam decuere, ab Episcopo Neytrano, in æde Divæ virginis coronata est; iisdem servatis actis, quæ in Regis coronatione: excepto, quod neque gladium, neque Regiam illam Dalmaticam gesserit, neque in ædem divi Petri, neque in ædiculam *S. Stephani* egressa sit, neque, quemadmodum & Rex, Eucharistiam sumpserit: verum peracto sacro mox positis bellariis ad mensas itum est, quibus tandem remotis tripudiarum cœptum est. Porro inter tripudiarum accessere duodecim ex Regia familia Germani equites, integra armatura egregie circummuniti; ii invicem occurrentes, primum contractis hastis, strictis tandem gladiis certamen inierunt; deinde feni congressi fenis acrius certavere, quo spectaculo tripudiarum desitum est.

CASPA-